IN LUCIANI
VERAS HISTORIAS ET SOMNIUM
OBSERVATIONES CRITICAE.

(*Pars altera*, *cf. Mnem.* I. p. 412).

IN VERAS HISTORIAS PARS ALTERA.

Ver. Hist. II. §. 2. E monstro maritimo, quod triste peregrinantibus aliquantum temporis fuerat domicilium, in lucem tandem aliquando reduces, et sacris NEPTUNO perlatis, in eo fuerunt, ut denuo in altum vela darent. *Ἔνθα δὴ πολλοῖς τῶν ἐκ τῆς ναυμαχίας νεκροῖς ἀπηντῶμεν καὶ προσωκέλλομεν, καὶ τὰ σώματα καταμετροῦντες ἐθαυμάζομεν.* Sed nulla fuerat *ναυμαχία*, cuius tropaeum victores in ipso ceti capite exstruxerant; non enim navibus, sed integris insulis natantibus obviam sibi erant facti, quorum pugna refertur. Fuit ista *νησομαχία*, ut ipse LUCIANUS *Ver. Hist.* I. 42 eam appellat: *ἔστησαν δὲ καὶ τρόπαιον τῆς νησομαχίας ἐπὶ τῇ κεφαλῇ τοῦ κήτους*, et in fine paragraphi *ταῦτα μὲν τὰ κατὰ τὴν νησομαχίαν γενόμενα*; idem igitur vocabulum hoc quoque loco restituendum, atque legendum est: *ἔνθα δὴ πολλοῖς τῶν ἐκ τῆς νησομαχίας νεκροῖς ἀπηντῶμεν.*

§ 5. *Ἔνθα δὴ καὶ καθεωρῶμεν λιμένας τε πολλοὺς περὶ πᾶσαν ἀκλύστους.* Quid esse possit *λιμὴν ἄκλυστος* vix me intelligere non rubor est confiteri. *Λιμήν* omnino non potest esse *ἄκλυστος*, atque qui LUCIANI verbis explicandis citant EURIP. *Iphig. Aul.* 121, apud poetam non viderunt vocabulum adhibitum esse ea significatione, quae a nostro loco quantumvis est aliena, Haec enim sunt EURIPIDIS verba:

πέμπω σοι πρὸς ταῖς πρόσθεν
δέλτοις, ὦ Λήδας ἔρνος,
μὴ στέλλειν τὰν σὰν ἶνιν πρὸς

τὰν κολπώδη πτέρυγ' Εὐβοίας
Αὖλιν ἀκλύσταν.

Quid sibi velint ab Agamemnone fraudem commissam Clytaemnestrae patefacturo pronunciata vocabula Αὖλις ἀκλύστη est in aprico. Quae comparata Luciani locum explicaturo nullam omnino opem afferunt. Neque explicatione, sed emendatione corruptis Luciani verbis subveniendum est, eumque persuasum tibi habeas non ἀκλύστους, sed ἀκλήστους λιμένας scripsisse. Apud Thucydidem, cuius vestigia Lucianum hoc in opusculo data opera legisse nemini dubitatur, identidem λιμένων ἀκλήστων fit mentio; quorum locorum unum tantum, ne editorum videar commentarios expilasse, hic apponam, V. 93: Πρὶν δὲ διαλῦσαι τὸ ἐς Κόρινθόν τε καὶ τὸν Κρισαῖον κόλπον ἀναχωρῆσαι ναυτικόν, ὁ Κνῆμος καὶ ὁ Βρασίδας καὶ οἱ ἄλλοι ἄρχοντες τῶν Πελοποννησίων ἀρχομένου τοῦ χειμῶνος ἐβούλοντο διδαξάντων Μεγαρέων ἀποπειρᾶσαι τοῦ Πειραιῶς [τοῦ λιμένος τῶν Ἀθηναίων]. Ἦν δὲ ἀφύλακτος καὶ ἄκληστος εἰκότως διὰ τὸ ἐπικρατεῖν πολὺ τῷ ναυτικῷ, qua in Thucydidis sententia vocabula uncis inclusa aliena manu inserta esse videntur. Videtur vitium aut librariorum, in litteris, quas de sententia nil solliciti quotidie pingebant, obdormiscentium incuria, aut inde ortum esse, quod rarioris usus vocabulo, si quem ipsis scrupulum iniiceret, alterum substituebant, quod loco addubitato aliquo saltem modo videretur posse accommodari. Quam librariorum consuetudinem dicam an licentiam multiplicum errorum fontem fuisse in vulgus est notum; qui tamen errores tantum abest, ut ubique sint investigati et emendati, ut sanequam multis apud unumquemque *Graecum* scriptorem locis hodieque librariorum commenta genuinam lectionem extrudisse apud doctiores omnes constet. Quorum duos occasione oblata lubet indicare, alterum apud Euripidem, apud Sophoclem alterum. Apud Sophoclem, *Oed. Tyr.* 483, editorum nulli, quantum quidem scio, de lectionis probitate dubitatio est oborta. Haec illo loco de Tiresia *Chorus* pronuntiat:

δεινὰ μὲν οὖν, δεινὰ ταράσσει σοφὸς οἰωνοθέτας.

In quibus magnus mihi erit Apollo, qui vel accitis illis, quae de vocabuli ταράσσειν significatione disputata sunt Ruhnkenio in praefatione ad Schelleri *Lexicon* pag. ix, sanam istius vocabuli interpretationem excogitaverit. Scripsit Sophocles:

δεινὰ μὲν οὖν, δεινὰ τεράζει σοφὸς οἰωνοθέτας.

Raro, concedo, verbum τεράζειν (ita enim, nec ut solent lexicographi, τεράζειν, scribendum est) *Graecis* scriptoribus est adhibitum, sed optimae est notae; de quo conferendus est PHOTIUS i. v. et AESCH. *Agam.* 125:

οὕτω δ' εἶπε τεράζων.

Alter locus est apud EURIPIDEM, *Orest.* 54:

ἥκει γὰρ ἐς γῆν Μενέλεως Τροίας ἄπο,
λιμένα δὲ Ναυπλίειον ἐκπληρῶν πλάτῃ
ἀκταῖον ὁρμεῖ.

Corrupti vocabuli emendationem non ipse excogitavi; quam hoc loco me publici iuris facere nolit aegre ferre, a quocumque acceptam adversariis meis inserui. Lexicographos ubi de vocabuli ἐκπληρόω significatione consulueris, nativo at illo miro candore fatebuntur, ἐκπληρόω verbum vulgo quidem significare *explere*, at esse locum apud EURIPIDEM in *Oreste*, v. 54, ubi ἐκπληροῦν λιμένα πλάτῃ non aliter explicari possit atque verti, atque *portum pernavigare.* Talia qui decernere audent, eos librariis ab ipsis et a quo non explosis et vellicatis haud multum dicas doctrina prudentiaque praestare. Substituenda est vocabulo, quod labem contraxit, ex HOMERO inde nota ipsique EURIPIDI, v. c. *Androm.* 795: ἐκπερᾶσαι ποντίαν Ξυμπληγάδα κλεινὰν ἐπὶ ναυστολίαν) plus semel usurpatum ἐκπερᾶν, quo recepto is emerget EURIPIDIS versus:

λιμένα δὲ Ναυπλίειον ἐκπερῶν πλάτῃ.

Verbo commemorandum est, concinniorem fieri orationem, ubi pro ἐντυγχάνομεν τοῖς φρούροις καὶ περιπόλοις in paragrapho 6 ἐνετυγχάνομεν imperfecto tempore rescripseris, eodemque modo § 11 τοὐντεῦθεν ἡμῖν αὐτομάτων τῶν στεφάνων περιρρυέντων ἐλελύμεθα καὶ εἰς τὴν πόλιν ἠγόμεθα καὶ εἰς τὸ τῶν Μακάρων συμπόσιον imperfecto tempori plusquamperfectum ἤγμεθα substitueris. Abiiciendum est emblema in § 12: καθάπερ γὰρ τὸ λυκαυγὲς [ἤδη πρὸς ἕω] μηδέπω ἀνατείλαντος ἡλίου. De suo enim vocabula ἤδη πρὸς ἕω addidisse existimandus est eiusdem farinae librarius, quo oscitante in § 19: τιμῶσι δὲ μάλιστα τὸν Ἀχιλλέα καὶ μετὰ τοῦτον Θησέα articulus excidit ante Θησέα. Legendum enim est: καὶ μετὰ τοῦτον τὸν Θησέα.

§ 20. Quicumque politissimis facetiis festivaque irrisione delectabantur, in hoc praecipue *Verarum Historiarum* capite LUCIANI ingenium admirari solebant, dum mira arte eos perstringit et sugillat qui quaestionibus HOMERICIS putida *ἀκριβείᾳ* et *μικρολογίᾳ* agitatis strenuam operam navabant. Quibus artis LUCIANEAE praeconibus quo libentius assentior, eo magis exoptandum esse puto, ut sermoni LUCIANEO maculae mendaeque eximantur, quibus haec prae ceteris paragraphus videtur esse contaminata adeoque male habita, ut omnis compluribus locis lepos perierit. Maiorem capitis partem hic describam, ut eo facilius appareat, quo iure singula mutanda esse censuerim. Ὁ δὲ (scilicet Ὅμηρος) *οὐδ' αὐτὸς μὲν ἀγνοεῖν ἔφασκεν, ὡς οἱ μὲν Χῖον, οἱ δὲ Σμυρναῖον, πολλοὶ δὲ καὶ Κολοφώνιον αὐτὸν νομίζουσιν. Εἶναι μέντοι γε ἔλεγε Βαβυλώνιος, καὶ παρά γε τοῖς πλείστοις οὐχ Ὅμηρος, ἀλλὰ Τιγράνης καλεῖσθαι· ὕστερον δὲ ὁμηρεύσας παρὰ τοῖς Ἕλλησιν ἀπαλλάξαι τὴν προσηγορίαν. Ἔτι δὲ καὶ περὶ τῶν ἀθετουμένων στίχων ἐπηρώτων, εἰ ὑπ' ἐκείνου εἰσὶν ἐγγεγραμμένοι· καὶ ὃς ἔφασκε πάντας αὐτοῦ εἶναι. κατεγίγνωσκον οὖν τῶν ἀμφὶ τὸν Ζηνόδοτον καὶ Ἀρίσταρχον γραμματικῶν πολλὴν τὴν ψυχρολογίαν. ἐπεὶ δὲ ταῦτα ἱκανῶς ἀπεκρίνατο, πάλιν αὐτὸν ἠρώτων, τί δή ποτε ἀπὸ τῆς μήνιδος τὴν ἀρχὴν ἐποιήσατο· καὶ ὃς εἶπεν, οὕτως ἐπελθεῖν αὐτῷ μηδὲν ἐπιτηδεύσαντι· καὶ μὴν κἀκεῖνο ἐπεθύμουν εἰδέναι, εἰ προτέραν ἔγραψε τὴν Ὀδύσσειαν τῆς Ἰλιάδος, ὡς οἱ πολλοί φασιν· ὁ δὲ ἠρνεῖτο. ὅτι μὲν γὰρ οὐδὲ τυφλὸς ἦν, ὃ καὶ αὐτὸ περὶ αὐτοῦ λέγουσιν, αὐτίκα ἠπιστάμην· ἑώρα γάρ, ὥστε οὐδὲ πυνθάνεσθαι ἐδεόμην. πολλάκις δὲ καὶ ἄλλοτε τοῦτο ἐποίουν, εἴ ποτε αὐτὸν σχολὴν ἄγοντα ἑώρων· προσιὼν γάρ τι ἐπυνθανόμην αὐτοῦ, καὶ ὃς προθύμως πάλιν ἀπεκρίνατο, καὶ μάλιστα μετὰ τὴν δίκην, ἐπειδὴ ἐκράτησεν· ἦν γάρ τις γραφὴ κατ' αὐτοῦ ἐπενηνεγμένη ὕβρεως ὑπὸ Θερσίτου ἐφ' οἷς αὐτὸν ἐν τῇ ποιήσει ἔσκωψε, καὶ ἐνίκησεν Ὅμηρος Ὀδυσσέως συναγορεύοντος.* Pro *παρά γε τοῖς πλείστοις* scribendum esse *παρά γε τοῖς πολίταις* iam alio loco indicavi; quod non ita difficile est demonstratu. Palaeographiae legum habita ratione facillime utrumque vocabulum permutari posse codices Graecos et legentibus et scribentibus, prae ceteris ostendit F. I. BASTIUS *in Epistolae Criticae ad Boissonadum Append.* pag. 53, quo loco simillimum profert e LIBANIO IV,

p. 591 corruptelae exemplum: ἀλλ' ἠξίουν τῶν π ο λ λ ῶ ν (leg. τῶν πολιτῶν e *Cod. Paris.* 3017, cuius lectionem spretam in peius mutaverat CASAUBONUS) τούς γε μετριωτέρους μάλιστα μὲν ἐμὲ οἰκτείρειν τῆς συμφορᾶς. Quod vero ad loci sententiam attinet, omnium quotquot sunt scriptorum *Graecorum* nemo de *Babylonia*, HOMERI patria, facit mentionem, praeter unum TZETZEM (*Alleg. Homer. Prooem.* v. 52), quem a nonnullis eum *Babylonium* (ἑτέροις — Βαβυλώνιος) vocatum esse cum dicat, cavillatoris *Samosatensis* commenta pro veris amplexum et ab ipso LUCIANO istam doctrinam suam mutuatum esse ostendi huius diarii T. I, p. 137. Plurimis haud dubie Graecus appellabatur HOMERUS, quem praeter TZETZEM et ALEXANDRUM *Paphium*, qui *Aegypto* poetam oriundum esse affirmabat, nemo serio contendebat ἑτερόφωνον in *Graeciam* pervenisse; neque per iocum LUCIANO in medium licuit conferre, quod et plane absurdum est neque ullo modo orationis vim comicam poterat augere et intendere. In eo enim, si quid video, loci vertitur elegantia et acerbitas, quod scriptor graves illas fervideque agitatas de HOMERI patria disceptationes manifesto solidoque mendacio confestim dirimit et profligat. Itaque HOMERUS non *Graecum* se esse dicit, *ut vulgo credatur*, sed *Babylonium*, neque proprie HOMERUM sed *Babylonico* sermone (h. e. in patria) TIGRANEM sese appellatum fuisse. Itaque π α ρ ὰ τ ο ῖ ς π ο λ ί τ α ι ς erit legendum. Idem WIELANDIO, ut erat et ipse scriptor elegantissimus facetissimusque, et alienae urbanitatis venustatisque inprimis iudex idoneus ac felicissimus interpres, obversatum fuisse videtur, cum verteret (*Lucians Werke*, IVer Theil, S. 197): »Er antwortete, alle die wackeren Männer, die sich »so viele Mühe gäben, ihn zu einem Chier oder zu einem »Smyrnäer oder Kolophonier zu machen, wären übel berich»tet: denn er sei ein Babylonier, *und heisse unter seinen Mit»bürgern nicht Homer, sondern Tigranes.*" Novo igitur hic locus potest esse eius rei documento, cuius supra (I. pag. 402) aliquot ex ipso LUCIANO contuli exempla, nimia scilicet traditorum reverentia absurda interdum ab editoribus iis anteferri, quae luce clariora ipsaque veritate, si fieri posset, sunt veriora. Qui toti pendent a librorum manuscriptorum fide nec transversum unguem ab ea audent deflectere, duplici omnino

erroris generi ista superstitione implicari solent: ut ea, quae feliciter, sed sine codicum manuscriptorum auctoritate sint mutata, contemnant at reiiciant; ubi vero in codicem melioris notae inciderint, vel variam quandam lectionem apud unum de grammaticorum filiis investigarint, vulgatae lectioni nullo facto delectu ista ἑρμαῖα praeferant. Utriusque erroris quae inter legendum annotavi exemplorum aliquot hic proponam. Apud SOPH. *El.* 681 vulgo editum est:

Κεῖνος γὰρ, ἐλθὼν εἰς τὸ κλεινὸν Ἑλλάδος
πρόσχημ' ἀγῶνος.

At PORSONUS, *Advers.* p. 210, iamdiu e THOMA MAGISTRO κοινόν SOPHOCLI reddiderat. In eiusdem *Oed. Tyr.* 845 versus in editionibus ita repraesentatur:

οὐ γὰρ γένοιτ' ἂν εἷς γε τοῖς πολλοῖς ἴσος,

licet BRUNCKIUS diu emendandum statuerit:

εἷς γέ τις πολλοῖς ἴσος.

Oed. Col. versum 708:

δῶρον τοῦ μεγάλου δαίμονος, εἰπεῖν * * αὔχημα μέγιστον

mutilum esse omnes uno ore agnoscunt, et quis infitiari potest; nec tamen audent simplicissimae isti damnum resarciendi rationi quaeque veri speciem prae se fert, assentiri, qua PORSONUS χθονός inserendo lacunam explevit (cf. GAISF. *ad Hephaest.* p. 326, BAKE, *Bibl. Crit. Nov.* I, p. 28). Apud ARISTOPH. *Eqq.* vs. 298 κἀπιορκῶ γε βλεπόντων idem PORSONUS, quod unum verum est, γ' ἐμβλεπόντων restituerat; at editores in tuendis traditis erroribus pertinaciter perseverant. Apud eundem, *Eccles.* 91:

νὴ τὴν Ἄρτεμιν
ἔγωγε· τί γὰρ ἂν χεῖρον ἀκροῴμην ἄρα,
ξαίνουσα; γυμνὰ δ' ἐστί μου τὰ παιδία.

DOBRAEUS in *Aristophanicis* ἅμα ξαίνουσα commendaverat, sed frustra (simili vitio laborat PANYASIDIS versus, quem servavit ATHENAEUS I. p. 133:

Ἐκ γὰρ οἱ ἄτης τε καὶ ὕβριος αἶσα ὀπηδεῖ,

ubi legendum est: αἶσ' ἅμ' ὀπηδεῖ. Cf. v. c. HOM. *Od.* α. 271:

Ζεὺς δ' ἐπιτιμήτωρ ἱκετάων τε ξείνων τε
ξείνιος, ὃς ξείνοισιν ἅμ' αἰδοίοισιν ὀπηδεῖ).

Quam apud eundem ARISTOPHANEM, *Ran.* 958, PHOTIUS serva-

verat genuinam lectionem (PHOT. *Lex.* p. 631. BEKK.) καθυποτοπεῖσθαι, eam frustra BRUNCKIUS amplexus ac tutatus erat. Vulgatum enim est hodieque:

κἄχ' ὑποτοπεῖσθαι, περινοεῖν ἅπαντα.

EURIPIDIS duo versiculi adducuntur LUCIANI *Necyomantiae* initio hice:

ὦ χαῖρε μέλαθρον πρόπυλά θ' ἑστίας ἐμῆς
ὡς ἀσμένως σέ γ' εἶδον ἐς φάος μολών.

Quos *Herculis Furentis* esse versus 522 et 523, nemo non vidit; nec tamen quod ibi legitur

ὡσ ἀσμένως σ' ἐσεῖδον κτέ.

apud LUCIANUM revocarunt editores, aut potius vulgatam (REITZ.), quae genuinos habebat EURIPIDIS versus, prae eo spernebant, quod in variarum lectionum computatione in membranarum maiore numero viderant exstare. (V. simile exemplum apud VALCKEN. in *Ep. ad Roever.* p. XXXVI). Est praeclara RUHNKENII emendatio ad XENOPHONTIS *Oeconomicum* 18. 4: τί δ'οὐκ, ἔφην ἐγώ, οἶδα; καὶ ὑποζύγιά γε καλούμενα πάντα (leg. καλοῦμεν ἅπαντα) ὁμοίως, βοῦς, ἡμιόνους, ἵππουν. Οὐκοῦν, ἔφη, ταῦτα μὲν ἡγεῖ τοσοῦτο μόνον εἰδέναι, πατεῖν τὸν σῖτον ἐλαυνόμενα; τί γὰρ ἂν ἄλλο, ἔφην ἐγώ, ὑποζύγια εἰδείη; Ὅπως δὲ τὸ δεόμενον κόψουσι καὶ ὁμαλιεῖται ὁ ἀλοητὸς, τίνι τοῦτο, ὦ Σώκρατες; ἔφη· Δῆλον ὅτι, ἔφην ἐγώ, τοῖς ἐπαλώσταις. Στρέφοντες γὰρ καὶ ὑπὸ τοὺς πόδας ὑποβάλλοντες τὰ ἄτριπτα ἀεὶ δῆλον ὅτι μάλιστα ὁμαλίζοιεν ἂν τὸν δεινὸν καὶ τάχιστα ἀνύτοιεν (leg. ἀνύτοιεν). RUHNKENIUS enim pro τὸν δεινόν legendum commendavit τὸν δῖνον, rarioris quidem usus, at optimae notae vocabulum; de quo cf. v. c. ATHEN. p. 467 D: Τελέσιλλα δὲ ἡ Ἀργεία καὶ τὴν ἅλω καλεῖ δεῖνον (sic enim ille); quam RUHNKENII emendationem editorum nullus quantum scio in textum recipere est ausus. Apud PLAT. *Hipp. Mai.* p. 304. B: τούτων οὖν χρὴ ἀντέχεσθαι, ἵνα μὴ δοκῇ λίαν ἀνόητος εἶναι STEPHANUS ἵνα μὴ δοκῇς correxerat, qua spreta emendatione STALLBAUMIUS vulgatam tueri pergit. Quid, quod speciosissimum CASAUBONI inventum apud THEOPHRASTUM περὶ ἀλαζονείας (p. 27 ed. AST.). ὁ δὲ ἀλαζὼν τοιοῦτός τις, οἷος ἐν τῷ δείγματι (vulgo διαζεύγματι) ἑστηκὼς διηγεῖσθαι ξένοις, ὡς πολλὰ χρήματα αὐτῷ ἐστὶν ἐν τῇ θαλάττῃ editores aliquot repudiare sunt ausi? In LYSIAE

Oratione de caede Eratosthenis p. 162. 7 (Bekk.) iam dudum cum Dobraeo (*Advers.* Tom. I. p. 193) e verbis καὶ γὰρ οἰκονόμος δεινὴ καί φειδωλὸς ἀγαθὴ καὶ ἀκριβῶς πάντα διοικοῦσα pelli debuerat molestum illud ἀγαθή. Quod in Dion. Halic. *Epistola ad Pomp.* p. 787: ἔστι δὲ ἃ καὶ κατὰ τὸν πραγματικὸν τόπον ἁμαρτάνει καὶ μάλιστα κατὰ τὰς παραβολάς Valckenaerius *ad* Herod. IV, 167 et post eum A. I. E. Plugkius, *de* Theopompi *Chii vita et scriptis*, p. 38 felicissima coniectura παραβολάς in παρεκβολάς mutaverat, id verum esse post centum fere annos nondum concoxerunt editores. Contrarii vitii, lectionem in codice quodam vel alibi servatam ac subito in lucem protractam genuinam eamque vulgatam lectionem loco pepulisse, unum iam supra apud ipsum Lucianum indicavi exemplum, *Somn.* § 4, ubi barbara forma ἀγανακτησαμένης e Thoma Magistro ab editoribus fuerat invecta. Dixi eo loco, peioris fuisse notae, quibus ille usus fuerit, codices; quam meam sententiam paucis quibusdam iam fulciam exemplis. *Somn.* § 2 editum est καὶ δίδασκε παραλαβών. Optime, ut videtur. At Thomas Magister διδάσκου παραλαβών exhibet i. v. διδάσκομαι (p. 162. 14. Ritschl). Idem cum editoribus in eadem paragrapho secunda utramque formam, ἑρμογλύφος (p. 162. 14) et ἑρμογλυφεύς (p. 162. 15) agnoscit, cum ἑρμογλυφεύς pro ἑρμογλύφος in *Graecum* sermonem haud maiore iure videatur posse introduci, quam v. c. ζωγραφεύς pro ζωγράφος. *Timon.* 3 vulgo legitur: ζώπυρόν τι τοῦ ἀνθρωπίνου σπέρματος διαφυλάττων, dum Thom. Mag. (p. 167. 3) ζώπυρον τοῦ ἀνθρωπείου γένους praebeat. Ibid. 40 iam in recentiores Luciani editiones recepta est codicis *Augustani* lectio: ἐγὼ δὲ ὑμῖν ὑπεκστήσομαι, apud Thomam (p. 367. 1), quod aut in codicibus minus probatis, ὑποστήσομαι invenies. Ibidem 57 ex optimis codicibus editum est: διαδιδοὺς ἅπασι τοῖς δεομένοις, ᾧ μὲν (leg. τῷ μὲν) πέντε δραχμάς, ᾧ δὲ (leg. τῷ δὲ) μνᾶν, ᾧ δὲ (leg. τῷ δὲ) ἡμιτάλαντον. Thom. p. 48. 14 pro verbo composito, quod huic loco unice aptum est, simplex exhibet δούς. *Dial. Deor.* 13. 2 vulgo bene: ὑπ' ἀμφοῖν διεφθαρμένος τὸ σῶμα, Thom. Mag. p. 88. 7 διεφθορώς. *Dial. Mort.* v. 2 πολλὰ κἀκεῖνος, εὖ μάλα διαβουκολεῖ αὐτοὺς καὶ ἐλπίζει, καὶ ὅλως ἀεὶ θανόντι ἐοικὼς ἔρρωται πολὺ μᾶλλον τῶν νέων, vulgatae ἐπελπίζει, quae genui-

na est atque apta, si quid aliud, falsam e THOMA MAG. (p. 61, 12 et 156, 17) ductam lectionem ἐλπίζει antetulerunt, *Vitt. Auct.* 11 pro ἢν ἐθέλῃ σε ἀποδόσθαι, THOM. MAG. p. 131, 12 ἢν ἐθελήσειεν ἀποδόσθαι. Ex his igitur exemplis, quorum numerum multis possum augere, manifestum mihi quidem est, ubicumque THOMAS MAGISTER a vulgata LUCIANI codicum lectione discedat, cavendum esse, ne sub ista lectionis discrepantia vetustam eamque exquisitam scripturam latere opinemur, cum longe plurimis locis recepta THOMAE lectione nil aliud efficiatur, quam ut nova vitia in LUCIANI scripta inferantur. Iam vero, ut revertar unde profectus sum, ista falsa e codicibus introducendi cupido atque omne hoc erroris genus quam late pateat, non opus erit, ut longa exemplorum serie demonstrem, ubi ostendero, vel IMMANUELEM BEKKERUM, cui in hac *Graecos* textus ad pristinam formam revocandi arte facile primae deferuntur, nonnumquam nimia traditionis reverentia sibi imponi esse passum. In oratione ISOCRATIS περὶ Εἰρήνης (p. 197, 87 BEKK.) cum vulgo legeretur πολλοὶ καὶ τῶν ἀστυγειτόνων καὶ τῶν ἄλλων Ἑλλήνων ἐφοίτων, οὐ συμπενθήσοντες τοὺς τεθνεῶτας, ἀλλ' ἐφησθησόμενοι ταῖς ἡμετέραις συμφοραῖς, ille recepta egregii ceteroquin codicis *Urbinatis* lectione ἀλλὰ συνησθησόμενοι sententiam pessum dedit. ISOCRAT. *Paneg.* p. 63. 85 ante BEKKERUM bene editum erat: οὐ μὴν ἀλλὰ περὶ καλλίστων ἐν ἐκείνοις τοῖς χρόνοις ἐφιλονείκησαν. At illi, qui codex tot praeclara lectiones suppeditaverat, eiusdem depravatas quoque amplexus, pro ἐφιλονείκησαν legi iubet ἐφιλονίκησαν. Apud LYSIAM in *Nicom.* p. 379. 29: ὃ δὲ πάντων δεινότατον ὅτι ὑπογραμματεῦσαι μὲν οὐκ ἔξεστι δὶς τὸν αὐτὸν ἀρχῇ τῇ αὐτῇ, BEKKERUS ex unico codice *Laurentiano* C. ὅτι illud in textum recepit, quod eidem haud dubie docto scilicet librario debetur acceptum, quem istum codicem compluribus eiusdem farinae suis inventis ditasse demonstravit FOERTSCHIUS, *Observ. Critt. de locis nonn. Lysiae et Demosth.* pag. 37.

Finita iam nimis fortasse longa, nec tamen prorsus inutili spero digressione ad ipsum LUCIANUM est redeundum et reliqua anquirenda sunt, quae eamdem hanc paragraphum obsederunt vitia. Absurdum plane est quod legitur: ἔτι δὲ καὶ περὶ τῶν ἀθετουμένων στίχων ἐπηρώτων, εἰ ὑπ' ἐκείνου εἰσιν ἐγγεγραμ-

μένοι. Qui Homerica carmina suis verbis adulterarunt, illi recte dici possunt *στίχους ἐγγεγραφέναι*, HOMERUS vero cum sibi vindicet versus illos, de quorum genuinitate lis erat oborta, non *ἐνέγραφε*, credo, non postea absoluto iam carmini assuit, sed cum reliquis eos *ἔγραφε*, atqui ita scribendum est: *εἰ ὑπ' ἐκείνου εἰσὶ γεγραμμένοι*. Nec facile quisquam, arbitror, infitias ibit, in vocabulis *ἑώρα γάρ, ὥστε οὐδὲ* (leg. *οὐδέν* et corrige idem vitium *Dial. Mort.* XXIII. 2 *ἀφίξεται γὰρ κἀκείνη ποτὲ καὶ οὐδὲ* (leg. *οὐδέν*) *σὲ ἀπελθεῖν δεήσει*), ita demum sententiae concinnitatem restitutam ipsiusque LUCIANI manum esse repositam, si *ἑώρα* in *ἑώρων* mutando tertiae personae primam substitueris. Atque ita revera olim lectum fuisse, e *Latinam* colligas versione illa, quae ante REITZIUM vulgata fuit; quam qui confecit *Graeca* verba *Latine* hunc in modum est interpretatus: *ipsum vero caecum non esse, quod etiam dicunt, mox cognovi:* VIDI *enim* cet. In iis quae sequuntur, *καὶ ὃς προθύμως πάλιν ἀπεκρίνατο*, corruptum est vocabulum *πάλιν*, quod levi sane medicina in *πᾶν* mutandum esse, ut ex iis quae praecedunt *πολλάκις δὲ καὶ ἄλλοτε τοῦτο ἐποίουν* consequitur, ita tacito ab illis, qui LUCIANI versiones confecerunt atque inde reapse coacti erant, in scriptoris sententiam accuratius penetrare, perspectum atque agnitum erat. Ita enim in versione, quae LUCIANI editioni Didotianae est addita: *atque ipse prompte* AD OMNIA *respondebat*, dum WIELANDUS *Graeca* verba hunc in modum *Germanicis* expressit: *und er antwortete mir* IMMER *mit der grössten Gefälligkeit.* De vocabulorum *πάλιν*, *πάλαι* et *πᾶν* (ΠΑΛΙ, ΠΑΛΑΙ, ΠΑΝ) crebra et proclivi permutatione nil est, quod moneam post ea, quae praeter Bastiana invenies in D. WYTTENBACHII animadv. in IULIANI *Orat. in Const. laudem*, p. 210 ed. SCHAEFER. — In fine denique paragraphi iure postliminii quantocius in integrum restituenda erit vulgata lectio *ἦν γάρ τις γραφὴ κατ' αὐτοῦ ἀπενηνεγμένη*, a novissimis editoribus immerito, ut videtur, e textu remota atque intra annotationum carceres cohibita. Cui cur *ἐπενηνεγμένη* antetulerint, vix exputo atque praesertim miror in DINDORFIO, viro in *Graecis* oratoribus quam qui maxime versatissimo.

21. *Καὶ ἐκρίθη μὲν συμπολιτεύεσθαι αὐτοῖς, ἐνεδοιάζετο δὲ ἔτι πότερον Πυθαγόραν ἢ Εὔφορβον χρὴ αὐτὸν ὀνομάζειν.* Si verum

esset, iudices illos ad liquidum perducere non potuisse, utrum PYTHAGORAE suum ipsius an EUPHORBI nomen esset imponendum, eamque rem ut difficiliorem intricatioremque, quam cui dirimendae pares essent, in perpetuum in medio reliquisse, non *ἐνεδοιάζετο* scribendum fuit, sed *ἐνδοιάζεται*. Quam sit absurdum, quod in textu exstat: *hoc vero adhuc dubitabatur*, utrum PYTHAGORAM an EUPHORBUM vocare oporteret, illico ac sponte apparet; nec minus est absonum, si ponas, LUCIANUM revera dicere voluisse, in quaestione ista dirimenda ad finem iudices omnino pervenire non potuisse. Immo dixit, eum recipiendum esse statim inter omnes convenisse, at paululum haesitasse, utrum PYTHAGORAE illi an EUPHORBI nomen darent. Quod una litterula erasa LUCIANO potest restitui. Legendum enim est *ἐνεδοιάζετο δέ τι* pro *ἐνεδοιάζετο δὲ ἔτι*. Innumerabilibus locis vocularum *τι*, *ἔτι* et *ἐπί* confusio turbas dedit, sexcentisque iam locis errores inde nati correcti, aliis vero sexcentis hodieque residui sunt, v. c. LUCIAN. *Imag.* 9: *βιβλίον ἐν ταῖν* (leg. *τοῖν*) *χεροῖν εἶχεν ἐς δύο συνειλημένον, καὶ ἐῴκει τὸ μέν τι ἀναγιγνώσκεσθαι αὐτοῦ, τὸ δὲ ἤδη ἀνεγνωκέναι*, leg. *τὸ μὲν ἔτι ἀναγνώσεσθαι*. *Dial. Mort.* I. 1: *κελεύει ὁ Διογένης εἴ σοι ἱκανῶς τὰ ὑπὲρ γῆς καταγεγέλασται, ἥκειν ἐνθάδε πολλῷ πλείω ἐπιγελασόμενον*, leg. *ἔτι γελασόμενον*. Cf. SCHAEFER. *ad* DIONYS. *d. Comp. Verbb.* p. 180.

Sunt in § 28 faceti versiculi, quos HOMERUS proficiscenti fingitur LUCIANO sui in memoriam dedisse; quorum tamen prior metrico vitio laborat:

Λουκιανὸς τάδε πάντα φίλος μακάρεσσι θεοῖσιν
εἶδέ τε καὶ πάλιν ἦλθεν ἑὴν ἐς πατρίδα γαῖαν.

Ex analogia enim in nomine *Λουκιανός* penultima producitur. Idem vitium in epigrammate recurrit, quod LUCIANUS dicitur in se ipsum composuisse, quodque in eius epigrammatum *sylloge* primum obtinet locum (*Anthol. Palat. Append.* 49):

Λουκιανὸς τάδ' ἔγραψε, παλαιά τε μωρά τε εἰδώς,

quo loco *παλαιός*, quo melius *τοῖς μωροῖς τὰ παλαιά* opponantur, eadem videtur significatione esse accipiendum, qua usurpatum est v. c. apud ANTIPH. *περὶ τοῦ χορ.* p. 70. 4 BEKK. *νόμῳ εἴργεσθαι πόλεως, ἱερῶν, θυσιῶν, ἀγώνων, ἅπερ μέγιστα καὶ παλαιότατα τοῖς ἀνθρώποις.* Scribendum vero est utroque

loco Λυκῖνος (ut sese ipsum in scriptis appellare solebat LUCIANUS).

Paucula quaedam supersunt, minoris ea fere momenti. Nulla est causa, cur § 34 LUCIANUM contra usum putemus scripsisse *καὶ οἱ μὲν χρύσεοι, ὡς ἐδόκουν*, itaque sedulo *χρυσοῖ* erit reponendum. Quod § 36 inest vitium, *ἔπειτα δὲ παρεκάλει ἡμᾶς ἐπὶ ξενίᾳ* (leg. *ξένια*), eius iam supra (I. p. 412) mentio est facta. Quae sit in § 43, *βιασάμενοι δ' ὅμως τὴν ὕλην ἀφικόμεθα ἐς τὸ ὕδωρ καὶ πάλιν ὁμοίως καταθέντες τὴν ναῦν ἐπλέομεν διὰ καθαροῦ καὶ διαυγοῦς ὕδατος*, vocabuli *καταθέντες* significatio, non exputo. Velis passis per mediam silvam, veluti in mari, facto itinere iam contigit iis, ut navem denuo in mare demitterent. Quod si quid video *Graece* dicitur *καθεῖναι*, nec *καταθεῖναι τὴν ναῦν*; itaque corrige sodes *καθέντες τὴν ναῦν*. In eadem paragrapho *περιβλέποντες δὲ ὁρῶμεν κατὰ δεξιὰ οὐ πάνυ πόρρωθεν γέφυραν* praepositionis *κατά* syllaba extrema articulum, quî necessario requiritur, absorbillavit. Scripserat LUCIANUS *κατὰ τὰ δεξιά*. Paragrapho 46 in verbis *ἐγὼ δὲ μικρὸν ὑποστάς — οὐ γὰρ χρηστὰ ἐμαντευόμην — ἀκριβέστερόν τε περιβλέπων ὁρῶ κτέ.*, pro *ὑποστάς*, quod nullum idoneum sensum praebet nec tamen ullum cuiquam scrupulum videtur iniecisse (vertunt: *ego autem cunctatus paulum*), emendandum *ἀποστάς* atque haec iam est loci sententia: cum paululum secessissem (cf. MENAND. apud BEKK. *Anecd. Gr.* I, p. 81 : *ἀπόστα βραχύ*) — infausta enim animus praesagiebat — accuratiusque locum circumspexissem, video cet. Eandem paragraphum alterum vitium invasit. Quae enim vocantur Ὀνοσκελεῖς his verbis : Ἡ δὲ, ἄκουσα μὲν, εἶπε δὲ ὅμως, αὐτὰς μὲν εἶναι θαλαττίους γυναῖκας Ὀνοσκελέας προσαγορευομένας, τροφὴν δὲ ποιεῖσθαι τοὺς ἐπιδημοῦντας ξένους, eas *Graecis* non ita, sed Ὀνοσκελίδας vocatas fuisse docet *schol.* ARISTOPH. *Ran.* 293 (*scholion* exstat in *Cod. Reg.*; cf. *schol.* ARIST. ed. DUEBNER p. 520): ἕτεροι δὲ αὐτὴν (scil. τὴν Ἔμπουσαν) ὄνου σκέλος ἔχειν φασὶν, ὅθεν καὶ ὀνοσκελίδα καὶ ὀνοκωλίδα καλοῦσι, et *Schol.* ARIST. *Eccles.* 1056: ἔμπουσα τίς: Ἣν καλοῦμεν νῦν ὀνοσκελίδα. Praeter hos locos ὀνοσκελίδων mentionem fieri apud SOZOMENUM, *Hist. Eccles.* 8. 6, doctus sum DUEBNERI ad *Schol. Ran.* 294 annotatione. Itaque nullus dubito, apud LUCIANUM Ὀνοσκελέας in Ὀνοσκελίδας mutare.

Paucula quaedam addenda sunt, supra mihi praetervisa. *Ver. Hist.* I. 11: Ὁ δὲ θεασάμενος καὶ ἀπὸ [τῆς θέας καὶ] τῆς στολῆς εἰκάσας, Ἕλληνες ἄρα, ἔφη, ὑμεῖς, ὦ ξένοι vocabula cancellis septa ab aliena manu arbitror addita ideoque e textu abiicienda esse. I. 22: Δοκεῖ δέ μοι καὶ ἐς τοὺς Ἕλληνας ἐκεῖθεν ἥκειν τῆς γαστροκνημίας τοὔνομα, ὅτι παρ' ἐκείνοις ἀντὶ γαστρὸς κυοφορεῖ, inter ἐκείνοις et ἀντί vocabulum κνήμη videtur esse inserendum. II. 25 denique delendum est παῖς, quod post ὁ Κινύρας ὁ τοῦ Σκινθάρου irrepsit, et quam primum pro ἐπινῶς ἀγαπῶσα, quod nihili est, vulgata lectio ἐπιμανῶς LUCIANO est restituenda.

II.

Somnium.

Si verum est, quod dixi, esse in LUCIANI scriptis, quorum textus satis integer aetatem tulerit, esse, quae multis multiplicibusque erroribus sint referta, *Somnium* posteriori generi haud dubie erit annumerandum, in quo vix unam paragraphum invenies, quin graviore levioreve modo librariorum iniurias sit perpessa. Exstant F. V. FRITZSCHII *Variae Lectiones in Somnium*, editae *Rostochii* 1830, una cum indice lectionum, academiae alumnis eo anno propositarum. Programmatum vero vel prolusionum Academicarum fert indoles, ut in paucorum tantum eo munere beatorum manus perveniant, dum reliquis, quorum haud sane minus interest cognoscere, quae istis scriptis docte plerumque et simul eleganter disputata sint, exspectandum erit, donec aliquando placebit istis viris, minora scripta uno corpore comprehensa in publicum edere. Neque mihi quantumvis cupienti illius FRITZSCHII libelli inspiciendi potestas est facta; quod eo magis mihi est dolendum, quo est verius, in Fritzschianis coniecturis satis multas esse, in quibus prudentiam, nullam, in qua sagacitatem desideres.

1. Εἰ δέ τινα τέχνην τῶν βαναύσων τούτων ἐκμάθοιμι, τὸ μὲν πρῶτον εὐθὺς ἂν αὐτὸς ἔχειν τὰ ἀρκοῦντα [παρὰ τῆς τέχνης].

Quam negligenter versati sint librarii in crasi apud *Atticos* scriptores, vel eos, qui ab *Atticis* toti pendeant, servanda, notum atque nuper denuo observatum dataque opera demonstratum est. Cui socordiae tribuendum est, quod vel apud ISOCRATEM, quem anxie constat hiatum evitasse, multi ante BEKKERUM exstabant hodieque in BEKKERI editione non prorsus desunt loci, qui illi normae videantur officere. Quorum cum paucos hic attingam, non potero a proposito videri deflexisse; quid enim librarios putes sibi in LUCIANO indulsisse, qui ne ISOCRATI quidem pepercerint. ISOCR. *Panath.* 18, pag. 48 BEKK., ante BEKKERUM editum erat ἣν δ' ἐπιδείξῃ τις αὐτοῖς ταύτην τὴν τιμὴν ἡμετέραν οὖσαν μᾶλλον ἢ ἐκείνων. Ille e *Codice Urbinate* ἢ κείνων recepit, et unum vitium dum sustulit, alterum introduxit. ISOCRATES enim uno verbo scripserat ἠκείνων. Perperam idem BEKKERUS ad alterius hiatus generis tollendum exemplum *Codicis* sui *Urbinatis* auctoritatem contempsit, *Paneg.* 48, pag. 54, συνειδυῖα μὲν ὅτι τοῦτο μόνον ἐξ ἁπάντων τῶν ζώων (leg. ζῴων) ἴδιον ἔφυμεν ἔχοντες καὶ ὅτι τούτῳ κτέ. Legendum enim est καὶ διότι ex eodem *Urbinate*, cuius vestigia nimis anxie persequendo BEKKERUS veram lectionem exsulare iusserat *Paneg.* 93, pag. 65. Vulgatum enim et probum erat τῶν δὲ ἄλλων πόλεων ὑπὸ τοῖς βαρβάροις γεγενημένων καὶ συστρατευομένων ἐκείνοις πλὴν εἴ τις διὰ σμικρότητα παρημελήθη, cum *Urbinate* BEKKERUS: εἴ τις διὰ μικρότητα ἠμελήθη. In LUCIANUM quoque hac librariorum ad suae aetatis consuetudinem omnia conformantium licentia multos hiatus arbitror esse illatos, quorum molestior vix potest excogitari, quam qui hoc loco delendus est, τἀρκοῦντα scribendo pro τὰ ἀρκοῦντα. Sed alibi quoque nullus dubito, quin apud LUCIANUM crasis *Atticis* legitima revocanda sit. Quam librariorum tantum culpa hic illic apud eum esse oblitteratam hoc luculentissimo argumento nisus contendo. Bis apud eum legitur vocabulum ἐπίχειρος, cum articulo iunctum. Utroque loco crasis in codicibus omnibus editionibusque est observata. Τοιγάρτοι [ἀκόλουθα τῆς ῥᾳθυμίας] τἀπίχειρα, est in *Timone* 4, ubi insiticia esse vocabula ἀκόλουθα τῆς ῥᾳθυμίας demonstrabo, cum data opera *Timonem* tractabo. *Merc. Cond.* 24: παρὰ πόδας τοιγαροῦν τῆς λιχνείας ταύτης τἀπίχειρα. Cui

vocabulo, quod ad crasis usum pertinet, vix ovo ovum potest esse similius, quam est ἐπινίκιος. Omnibus tamen locis, quibus cum articulo coniunctum LUCIANO est usurpatum, in editionibus τὰ ἐπινίκια, festivo hiatu, apparet: *Deor. Dial.* XX. 16: ἑορτάζειν ἅμα τοὺς γάμους καὶ τὰ ἐπινίκια. *Gall.* 21. *Nav.* 39. *Charid.* 1. Quinto loco, *Ver. Hist.* II. 24, idem iam editum est, dum olim vulgatum esset τε ἐπινίκια. Tantam inconstantiam LUCIANO ipsi non esse inculcandam vix opus est ut dicam. Itaque quae passim leguntur τὰ ἐπιτηδεύματα, τὰ ἔπιπλα, τὰ ἐπιχώρια cet. in τἀπιτηδεύματα, τἄπιπλα, τἀπιχώρια tacito erunt contrahenda, ut locis modo laudatis pro τὰ ἐπινίκια reponendum est τἀπινίκια. — Quae sunt in eadem prima paragrapho vocabula παρὰ τῆς τέχνης vix credo ab ipso LUCIANO esse profecta. Videntur esse ex eo glossematum genere, quae explicandi gratia a lectore quodam in margine vel inter singulos versus appingi solent.

2. Οὐ θέμις, εἶπεν, ἄλλην τέχνην ἐπικρατεῖν σοῦ παρόντος, ἀλλὰ τοῦτον ἄγε — δείξας ἐμὲ — καὶ δίδασκε παραλαβὼν λίθων ἐργάτην ἀγαθὸν [εἶναι] καὶ συναρμοστὴν καὶ ἑρμογλυφέα. Si quo alio hoc profecto loco ι demonstrativum est revocandum quid enim ipso δεικνύναι cogitari potest δεικτικώτερον? In LUCIANI autographo haud dubie τουτονί exstitit. Eundem, elegantiam in scriptis quam maxime appetentem, mihi persuasum est scribere non potuisse δίδασκε λίθων ἐργάτην ἀγαθὸν εἶναι. Ut enim XENOPH. *Mem.* IV. 4. 5, διὰ χρόνου γὰρ ἀφικόμενος ὁ Ἱππίας Ἀθήναζε παρεγένετο τῷ Σωκράτει λέγοντι πρός τινας, ὡς θαυμαστὸν εἴη τὸ εἰ μέν τις βούλοιτο σκυτέα διδάξασθαί τινα ἢ χαλκέα ἢ ἱππέα μὴ ἀπορεῖν, ὅποι ἂν πέμψας τούτου τύχοι, ut PLAT. *Men.* 93. D, ἢ οὐκ ἀκήκοας, ὅτι Θεμιστοκλῆς Κλεόφαντον τὸν υἱὸν ἱππέα μὲν ἐδιδάξατο ἀγαθόν, ut ipse LUCIANUS *Icarom.* 5 ἠξίουν μετεωρολέσχης τε διδάσκεσθαι, καὶ τὴν τῶν ὅλων διακόσμησιν καταμαθεῖν: ita hoc quoque loco, ut erat diligens *Atticorum* alumnus, haud dubie scripserat: δίδασκε λίθων ἐργάτην ἀγαθὸν καὶ συναρμοστήν. »Illum usum habet perquam elegan»tem διδάσκειν accusativos simpliciter adsciscens: διδάξαι vel »διδάξασθαι ποιητήν, ἱππέα, σοφόν, γενναῖον, informando exer»cendoque, sive ipse eo munere fungaris, sive alteri aliquem »erudiendum tradas, efficere, ut quis poëtices, artis equitandi

»peritus fiat, vel sapiens et strenuus, atque adeo docendo red»dere poëtam, equitandi solertem, sapientem, strenuum." HEMSTERHUS. ad ARIST. *Plut.* p. 4. — Ἑρμογλύφος, quod paulo supra legitur, unice probam esse formam, reiiciendumque ἑρμογλυφέα, supra iam indicavi.

Ὁπότε γὰρ ἀφεθείην ὑπὸ τῶν διδασκάλων .... ἀνθρώπους ἀνέπλαττον, εἰκότως, ὡς ἐδόκουν τῷ πατρί .... καὶ χρηστὰς εἶχον ἐπ' ἐμοὶ τὰς ἐλπίδας, ὡς ἐν βραχεῖ μαθήσομαι τὴν τέχνην. Particulam γε inter ὡς et ἐδόκουν intercidisse non negabit, qui in scriptoris sententiam penitus sese insinuaverit. Hoc enim dicit, cera homines se effinxisse, satis probabiliter, ut patri *quidem* videretur; μαθήσομαι vero, ne soloece LUCIANUM ponamus locutum fuisse, in μαθησομένῳ quam primum est mutandum. In verborum terminationibus, haerentes scilicet in siglis intricatioribus, saepenumero constat lapsos esse librarios et editores. Quibus quid mirum idem in LUCIANO accidisse. Ita *Pisc.* 9: τοσοῦτον ὑπερφέρω τοῖς δικαίοις καὶ ἐκ περιουσίας ἀπολογήσασθαι ὑπολαμβάνω. Legendum est ἀπολογήσεσθαι. *Catapl.* 3: τεταραγμένος γὰρ ἡμῖν ἔοικας. Verum est τεταραγμένῳ. Ibid. 17, qui locus illustrandis potest inservire a me tentatis *Somnii* verbis: τὸν δανειστὴν Γνίφωνα ἰδὼν .... οὐκ εἶχον ὅπως καταπαύσω. Grammaticae leges iubent καταπαύσαιμι restitui. Ibid. 27. Ἡ Κλίνη καὶ ὁ Λύχνος ὁ Μεγαπένθους παρέστω; de duobus sermo est; itaque παρέστων. *Necyom.* 1. Ἡράκλεις, ἐλελήθει Μένιππος ἡμᾶς ἀποθανὼν, κᾆτ' ἐξ ὑπαρχῆς ἀναβεβίωκεν. LUCIANUM quis neget ἀναβεβιωκὼς scripsisse?

3. Ἅμα τε οὖν ἐπιτήδειος ἐδόκει ἡμέρα τέχνης ἐνάρχεσθαι κἀγὼ παρεδεδόμην τῷ θείῳ, μὰ τὸν Δί' οὐ σφόδρα τῷ πράγματι ἀχθόμενος, ἀλλά μοι καὶ παιδιάν τινα οὐκ ἀτερπῆ ἐδόκει ἔχειν καὶ πρὸς τοὺς ἡλικιώτας ἐπίδειξιν, εἰ φαινοίμην θεούς τε γλύφων καὶ ἀγαλμάτιά τινα μικρὰ κατασκευάζων ἐμαυτῷ τε κἀκείνοις οἷς προῃρούμην. Καὶ τό γε πρῶτον ἐκεῖνο καὶ σύνηθες τοῖς ἀρχομένοις ἐγίγνετο. De industria maiorem paragraphi partem exscripsi, quo luculentius appareret, plusquamperfectum παρεδεδόμην omnino non posse tolerari. Imperfecto usus est scriptor in priore capitis parte, et subito, ubi ad narrationis περιπέτειαν pervenit, ad aoristum transit. Una litterula mutata

damnum resarcitur, παρεδιδόμην nempe pro παρεδεδόμην scribendo. Neque gravior est, qua φαινοίμην istud sanari potest, medicina. Quo vitio laboret, apparet ubi indirectam orationem in directam converteris: ἐπίδειξίν τινά μοι δοκεῖ ἔχειν πρὸς τοὺς ἡλικιώτας, ita secum puer reputabat, εἰ φανοῦμαι θεοὺς γλύφων, itaque, qui eius verba indirecta oratione refert, illi dicendum est: εἰ φανοίμην θεούς τε γλύφων. In vocabulis vero κἀκείνοις οἷς προηρούμην quis non statim ludimagistrum agnoscit, discipulorum causa ἀναλύοντα, quae aliquam illis viderentur parere posse difficultatem, eundem vero suis scholiis *Graeci* scriptoris *Graeca* verba foede adulterantem? Aut nullum est inter scriptorem *Attica* venustate imbutum paedagogumque εὐκόλως et prolixe eius verba interpretantem discrimen, aut LUCIANUS non potuit aliter scribere, quam καὶ οἷς προῃρούμην. Eiusdem, se invito, LUCIANI verba interpolantis ludimagistri manus apparet v. c. *Dial. Mort.* 8: ΔΑΜ. Τί ἀγανακτεῖς, ὦ Κνήμων; ΚΝΗΜ. [Πυνθάνῃ], τί ἀγανακτῶ; ubi istud πυνθάνῃ ab homine *Graeco* non potest esse profectum. *Necyom.* 2: μή καί τις ἡμᾶς γράψηται [γραφὴν] ἀσεβείας ἐπὶ τοῦ Ῥαδαμάνθυος. Nam nemo profecto serio LUCIANO vocabulum γραφήν vindicare studebit. *Vit Auct.* 5. ΑΓΟ. Τί φῄς; ἄλλος εἰμὶ καὶ οὐχ [οὗτος] ὅσπερ νῦν πρὸς σὲ διαλέγομαι eodem e fonte οὗτος manasse censendum est. — In iis, quae *Somn.* 3 sequuntur καὶ τό γε πρῶτον κτέ., non video, cur editores recipere dubitaverint, quod non absque codicum auctoritate emendatum est a FRITZSCHIO καὶ τότε τὸ πρῶτον (vid. *Quaest. Luc.* p. 2 sqq.).

4. Ἀγανακτησαμένης δὲ τῆς μητρὸς καὶ πολλὰ τῷ ἀδελφῷ λοιδορησαμένης ἐπεὶ νὺξ ἐπῆλθε, κατέδαρθον ἔτι ἔνδακρυς καὶ τὴν νύχθ' ὅλην ἐννοῶν. De ἀγανακτησαμένης in ἀγανακτησάσης corrigendo supra iam sermo fuit. At cum longe graviore morbo extremum paragraphi vocabulum ἐννοῶν conflictatur. Diu multumque cogitavi, quidnam sub corrupta voce possit latere, sed ne sententiam quidem scriptoris adeo mihi licuit elicere, ut verum me invenisse mihi ipsi persuadere potuerim; id unum apud me constat, *Graecis* vocabulis versionem *Latinam*: *ego primis tenebris obdormivi adhuc in lacrymis, totamque noctem cogitabundus:* non minus esse obscuram et absurdam. Videntur interdum librarii, ubi vocabulum aut corruptum in anti-

quioribus, quos describebant, libris ad eos pervenerat, aut ob compendiorum difficiliorem rarioremve formam ab iis enucleari non potuerat, ne lacuna oriretur, quod primum in mentem veniebat quodque a traditi vocabuli forma non nimium discrepabat, substituisse, de sententia nihil solliciti. Quod nisi statuas, vix explices, unde irrepserit bonus corruptelarum e melioribus antiquioribusque codicibus postea emendatarum numerus, quarum praeter turpem illam scribarum levitatem nulla omnino origo potest excogitari. Quibus locis, nisi egregie fallor, annumeranda est ISOCRATIS periodus perquam pulchra ceteroquin et numerosa in Oratione de *Pace* 31. pag. 185 BEKK., quae diu me vexavit cuique iam crucem appinxeram, cum subito mihi videbar corruptelae et causam et medelam invenisse. Εἰς τοῦτο γάρ τινες, inquit, ἀνοίας ἐληλύθασιν, ὥσθ' ὑπειλήφασι, τὴν μὲν ἀδικίαν ἐπονείδιστον μὲν εἶναι, κερδαλέαν δὲ καὶ πρὸς τὸν βίον τὸν καθ' ἡμέραν συμφέρουσαν, τὴν δὲ δικαιοσύνην εὐδόκιμον μὲν, ἀλυσιτελῆ δὲ καὶ μᾶλλον δυναμένην τοὺς ἄλλους ὠφελεῖν ἢ τοὺς ἔχοντας αὐτὴν, κακῶς εἰδότες ὡς οὔτε πρὸς χρηματισμὸν οὔτε πρὸς δόξαν οὔτε πρὸς ἃ δεῖ πράττειν οὐθ' ὅλως πρὸς εὐδαιμονίαν οὐδὲν ἂν συμβάλλοιτο τηλικαύτην δύναμιν ὅσηνπερ ἀρετὴ καὶ τὰ μέρη ταύτης. Vocabulorum ἃ δεῖ πράττειν, substantivorum coacervationem inepte interrumpentium, idoneam sanamque explicationem haud facile quis excogitabit. Videtur autem ad tradita in codicibus nihil propius accedere idemque sententiae magis esse consentaneum, quam ἄδειαν, quod scribendum commendo, inde vitium natum esse ratus, quod librarius in vocis compendio haerens, cuius priorem partem recte legerat, trunco in duas partes secreto addebat πράττειν, quo adiecto formula evasit sexcenties illi lecta.

Vocabulum ἀκούσεσθε, quod est in paragrapho 5, tamquam librarii cuiusdam emblema abiiciendum esse iam monui. Verbo deinde levis nec tamen tolerandi vitii mentio est facienda, quod *Somnii* § 5, 6 et 13 et multos praeterea LUCIANI locos turpavit. *Atticis* scriptoribus articuli dualis formam femininam non fuisse in usu, apud omnes iam satis constat, licet nondum a sese potuerint impetrare editores, ut ARISTOPHANI v. c., apud quem τὼ θεώ ubique recte legitur, τοῖν θεοῖν pro ταῖν θεαῖν restituerent. Quod eidem tribuendum est malae pertinaciae er-

rorumque traditorum reverentiae, qua in *Atticis* scriptoribus multae servatae sunt formae, e κοινῇ dialecto temporibus labentis Graecitatis textibus illatae. Ita v. c. sexcentis locis apparent formae ἠντιβόλει, ἠμφιγνόουν, ἠμφισβήτουν, ἠντιδίκουν, quas meliores codices disertaque veterum grammaticorum testimonia damnant. Quorum hic in censum veniant PHOT. *Lex.* v. Ἠνέσχετο καὶ ἠνώχλει καὶ ἠντίβολει (leg. ἠντεβόλει). Κοινὸν τῶν Ἀττικῶν ἰδίωμα. MOER. v. ἠνέσχετο, Ἀττικῶς, ἀνέσχετο, Ἑλληνικῶς. PLATONI illas formas ubique restituit BEKKERUS. De quibus qua erat accurata doctrina egit BUTTMANNUS *Gr. Gr.* I, p. 537 et *Lexilog.* I, p. 279. Alterum luculentum exemplum est in vocabulo ἀγυιάς, quod communi errore sic scriptum videbis in solemni formula κνισᾶν ἀγυιάς. Operae pretium est, describere HARPOCRATIONIS locum, quo illam formam nos docet *Atticos* sprevisse v. Ἀγυιᾶς (pag. 9 ed. VALES.), Δημοσθένης ἐν τῷ κατὰ Μειδίου, κατὰ τὰ πάτρια καὶ κνισᾶν ἀγυιᾶς· ἔνιοι μὲν ὀξύνουσι θηλυκῶς χρώμενοι, οἷον τὰς ὁδούς, βέλτιον δὲ περισπᾶν, ὡς ἀπὸ τοῦ ἀγυιέας· ὡς σαφὲς ποιοῦσιν Ἀριστοφάνης τε ἐν Σφηξὶ καὶ Εὔπολις . . . . . . Ἀριστοφάνης ἐν Ὄρνισι·

μηλοσφαγεῖν τε βουθύτοις ἐπ' ἐσχάραις
κνισᾶν τ' ἀγυιᾶς.

Quo testimonio quid potest esse manifestius? Tamen si ARISTOPHANIS ab HARPOCRATIONE excitatum locum evolveris; Av. 1232, ne illo quidem vitium correctum, immo scriptum videbis κνισᾶν τ' ἀγυιάς. Eodem modo erratur in compositis verbi δέχομαι. A πανδοκεῖον quidem et πανδοκεύτρια manus abstinebant, sed ξενοδοχεῖν et ξενοδοχία sine offensione leguntur, illud v. c. apud EURIP. *Alcest.* 552, hoc apud XENOPH. *Oecon.* 9. 10. De qua re audi *Graecos* testes, MOER. p. 271. (PIERS.) ξενοδοκῶ Ἀττικῶς, ξενοδοχῶ Ἑλληνικῶς. *Etymol.* v. Δοκός· τὰ παρὰ τὸ δέχω πάντα διὰ τοῦ κ. Idem tradunt THOM. MAG. et PHRYN. i. v. Πανδοχεῖον. Eius compositionis, quae enumerat LOBECK. *ad* PHRYN. p. 307, vocabulis addendum est οὐροδόκη, quod in XENOPHONTE reperit PHOTIUS, laudatus ALBERTO *ad* HESYCH. v. Βίκος (v. PIERS. ad MOER. p. 271). Quid sit quod LOBECKIUS dubitet XENOPHONTI l. l. ξενοδοκία pro ξενοδοχία restituere, non prorsus intelligo. Tantumne tribuit HELLADII apud PHOTIUM ef-

fato, (Cod. CCLXXIX. p. 1590. Hoesch.): εἰ δὲ καὶ Ξενοφῶν εἴρηκε τοὺς νομεῖς, οὐδὲν θαυμαστὸν, ἀνὴρ ἐν στρατείαις σχολάζων καὶ ξένων συνουσίαις, εἴ τινα παρακόπτει τῆς πατρίου φωνῆς. διὸ νομοθέτην αὐτὸν οὐκ ἄν τις Ἀττικισμοῦ παραλάβοι. Aliud eiusdem generis vitium committi solet in vocabulo γύης. Ὁ γύης veteres dicebant, non ἡ γύη, de qua re exposuit Elmsl. ad Eurip. *Heracl.* 839 (cf. Soph. *Ant.* 569, Aesch. *Prom.* 369; Soph. *Oed. Col.* 58 meliores libri praebent οἱ δὲ πλησίοι γύαι, quod receptum est, deteriores ex emendatione αἱ δὲ πλησίον γύαι). Tamen multis locis incorrectum mansit, v. c. Eurip. *Hel.* 89: Τί δῆτα Νείλου τάσδ' ἐπιστρέφει γύας, leg. τούσδ'. Eandem pravam pervicaciam in aliis demonstrare possem; sed haec sufficiant, ne latius oratio evagetur. Hoc volo. *Attici* ἠμφεγνόουν dicebant, ἠμφεσβήτουν, κνισᾶν ἀγυιᾶς, ξενοδοκεῖν, ὁ γύης, iidem dicebant τοῖν θεοῖν, τοῖν χεροῖν, et Lucianus, ut in iis, quae non statim scriptori aetatis a mera *Atthide* remotioris dignoscebantur, haud dubie identidem lapsus est, ita in tritis sexcentiesque repetitis dicendi formulis vix potuit ab illis discrepare, quos unice admirabatur et imitabatur. Itaque illi quoque τοῖν χεροῖν et hic et ubique arbitror esse instaurandum.

Capitis septimi initii iam eo loco mentionem feci, quo interpolationum apud Lucianum exempla nonnulla recensui. In verbis: ἐγὼ φίλε παῖ, Ἑρμογλυφικὴ τέχνη εἰμί cum pellendum est glossema τέχνη, tum inserendum, ut elegantiae simul grammaticaeque legibus satisfiat, μὲν ὦ post ἐγώ, ut eam iam formam sententia ista induat: ἐγὼ μὲν, ὦ φίλε παῖ, Ἑρμογλυφική εἰμι: quibus vide quam accurate respondeant, quae sunt § 9. initio: ἐγὼ δὲ, ὦ τέκνον, Παιδεία εἰμί. Sequuntur in eadem paragrapho 7 haecce: Εἰ δ' ἐθέλεις λήρων μὲν καὶ φληνάφων τῶν παρὰ ταύτης ἀπέχεσθαι — ἕπεσθαι δὲ καὶ συνοικεῖν ἐμοὶ, πρῶτον μὲν θρέψει γεννικῶς. Vertunt novissima vocabula: *aleris firmo cibo*, Hemsterhusium secuti, ita statuentem ad h. l. Nec tamen intelligo, quo pacto ea sententia *ali firmo cibo* umquam e verbis τρέφεσθαι γεννικῶς possit elici. Scripsit Lucianus, si quid video, θρέψει γεννικός, h. e. ita aleris, ut validus fias. De ea vocabuli γεννικός significatione cf., si tanti est, v. c. Eurip. *Cycl.* 652, constructionis illius exquisitioris haec exempla sunto: Demosth. Ἐπιτάφ. (Bekk. LX. 32, pag.

589): *οἱ δ' εὐδαίμονες τῷ δικαίῳ λογισμῷ πρῶτον μὲν ἀντὶ μικροῦ χρόνου πολὺν καὶ τὸν ἅπαντα εὔκλειαν ἀγήρω καταλείπουσιν, ἐν ᾗ καὶ παῖδες οἱ τούτων ὀνομαστοὶ τραφήσονται καὶ γονεῖς οἱ τούτων περίβλεπτοι γηροτροφήσονται.* SOPH. *Oed. Col.* 919:

καίτοι σε Θῆβαί γ' οὐκ ἐπαίδευσαν κακόν.

Adde PLAT. *Rep.* VIII. p. 565, C: *Οὐκοῦν ἕνα τινὰ ἀεὶ ὁ δῆμος εἴωθε διαφερόντως προίστασθαι ἑαυτοῦ καὶ τοῦτον τρέφειν τε καὶ αὔξειν μέγαν;* Cf. HEMSTERH. ad PLUT. l. l., SCHAEF. ad DION. *d. Comp.* p. 413.

8. *Μὴ μυσαχθῇς δὲ τοῦ σώματος τὸ εὐτελὲς, μηδὲ τῆς ἐσθῆτος τὸ πιναρόν.* Turbatus hoc loco videtur verborum ordo; quid sit *τῆς ἐσθῆτος τὸ πιναρόν* facile intelligitur, sed haereo in vocabulis *τοῦ σώματος τὸ εὐτελές.* Quid sit *εὐτελής* et *εὐτέλεια* et notum est et exposui ad XENOPH. *Conv.* p. 100 et 101. Huic loco vocabuli significationem non convenire non opus est ut explicem. Commutatis utriusque substantivi epithetis, si legas *τοῦ σώματος τὸ πιναρὸν μηδὲ τῆς ἐσθῆτος τὸ εὐτελές,* omnia plana fiunt et perspicua.

9. *Εἰ δὲ καὶ Φειδίας ἢ Πολύκλειτος γένοιο καὶ θαυμαστὰ πολλὰ ἐξεργάσαιο τὴν μὲν τέχνην ἅπαντες ἐπαινέσονται, οὐκ ἔστι δὲ ὅστις τῶν ἰδόντων, εἰ νοῦν ἔχοι, εὔξαιτ' ἂν ὅμοιός σοι γενέσθαι. οἷος γὰρ ἂν ᾖς, βάναυσος καὶ χειρῶναξ καὶ ἀποχειροβίωτος νομισθήσῃ.* Restituenda est pronomini personali propria sua vis, reddito accentu, ut pro *ὅμοιός σοι* scribatur *ὅμοιος σοί.* Ad eundem lapidem hic illic librarii et editores impegerunt, multisque locis hodieque falsa lectio obtinet, v. c. *Somn.* 12: *κἂν πού τι λέγων τύχῃς, κεχηνότες οἱ πολλοὶ ἀκούσονται, θαυμάζοντές σε τῶν λόγων τῆς δυνάμεως καὶ τὸν πατέρα τῆς εὐποτμίας,* leg. *θαυμάζοντες σέ.* *Dial. Mort.* XIV. 5: *Οὐκ ἐπαινῶ τοῦτο, ὦ Ἀλέξανδρε, οὐχ ὅτι μὴ καλὸν οἴομαι εἶναι καὶ τιτρώσκεσθαί ποτε τὸν βασιλέα καὶ προκινδυνεύειν τοῦ στρατοῦ, ἀλλ' ὅτι σοι τὸ τοιοῦτον ἥκιστα συνέφερε,* leg. *σοί.* Quibus accedat ARIST. *Lys.* 774:

Εἶτ' ἀλγοῦσαι τἄνδοθεν ὑμᾶς ἐπανηρόμεθ' ἂν γελάσασαι,
τί βεβούλευται περὶ τῶν σπονδῶν ἐν τῇ στήλῃ παραγράψαι
ἐν τῷ δήμῳ τήμερον ὑμῖν; τί δέ σοι ταῦτ', ἦν δ' ὃς ἂν ἀνήρ.

Leg. *τί δὲ σοί* (Vid. Emend. ind. huic diario adiectum). Haud minus solemne est, quod alterum vitium in hac paragrapho no-

tandum habeo. Solent tam saepe inter se commutari verba *νομίζειν*, *ὀνομάζειν* et *ὀμνύναι*, ut codicum spreta auctoritate in singulis liceat reponere, quod loci sententiae maxime sit consentaneum. Collegi huius erroris exempla aliquot ad HERACL. *Alleg.* p. 40. Quibus iam adde XENOPH. *Hier.* 7. 3: *οἷς δ' ἂν ἐμφυῇ τιμῆς τε καὶ ἐπαίνου ἔρως, οὗτοί εἰσιν ἤδη οἱ πλεῖστον μὲν τῶν βοσκημάτων διαφέροντες, ἄνδρες δὲ καὶ οὐκέτι ἄνθρωποι μόνον νομιζόμενοι*, leg. *ὀνομαζόμενοι* et *Oecon.* I. 7. (quem locum iam alibi mihi videor emendatum legisse): *τὰ δέ γε βλάπτοντα ζημίαν ἔγωγε νομίζω μᾶλλον ἢ χρήματα*, leg. *ὀνομάζω*. Adde ARISTOPH. *Nub.* 847, versum correctum huius diarii I, p. 421. Cf. VALCKEN. *Diatr. in* EURIP. p. 63, BAST. *Ep. Crit.* p. 61 et 278; SCHAEF. ad DION. p. 142.

10. *Καὶ ὅλως ἅπαντα, ὁπόσα ἐστὶ, τά τε θεῖα τά τ' ἀνθρώπινα, οὐκ εἰς μακρὰν σε διδάξομαι.* Legendum est *διδάξω*; quae mutatio non opus est longa oratione fulciatur. Eadem chorda et alibi apud LUCIANUM oberratum est, ut *Vit. Auct.* 3: ΑΤΟ. *Φέρε δὲ, ἢν πρίωμαί σε, τί με διδάξεις*; ΠΤΘ. *Διδάξομαι μὲν οὐδὲν, ἀναμνήσω δέ*, leg. *διδάξω μὲν οὐδέν*. Ibid. 22: ΧΡΤΣ. *θάρρει καὶ ἄλλα γάρ σε διδάξομαι θαυμασιώτερα.* ΑΓΑ. *Τὰ ποῖα*; ΧΡΤΣ. *Τὸν θερίζοντα, καὶ κυριεύοντα, καὶ ἐπὶ πᾶσι τὴν Ἠλέκτραν καὶ τὸν ἐγκεκαλυμμένον.* Repone et hoc loco *διδάξω*.

11. Abundat paragraphi initio *καὶ νῦν πένης, ὁ τοῦ δεῖνος, ὁ βουλευσάμενός [τι] περὶ ἀγεννοῦς οὕτω τέχνης*, vocula *τι*. Cuius pronominis quamvis multiplex sit apud LUCIANUM usus, qua de re egregie disputavit FRITZSCHIUS, hoc loco sine dubio e sequentis praepositionis *περί* prima littera originem duxit. Quod saepius pronomini indefinito inepto loco inserendo ansam dedisse constat. Cff. de hoc et de contrario eius vitio BAST. *Comm. Pal.* p. 730 et PORS. *Advers.* p. 321. In iis quae sequuntur vulgo perperam legitur *κἂν που ἀποδημῇς, οὐδ' ἐπὶ τῆς ἀλλοδαπῆς ἀγνὼς καὶ ἀφανὴς ἔσῃ*, frequenti vitio. LUCIANUS scripsisse putandus est *κἂν ποι ἀποδημῇς*. Quam saepe in hanc partem peccatum sit, si numerosa exemplorum turba ostenderem, acta agerem. V. PORS. *ad* EUR. *Hec.* 1267, *Phoen.* 157.

Paragraphi 12 initio: *Ἂν δέ τι σπουδῆς ἄξιον ᾖ καὶ τοὺς φίλους ἢ καὶ τὴν πόλιν ὅλην καταλαμβάνῃ*, nescio quomodo haec

tulerint editores, cum praesertim vitium demonstraverat idemque correxerat SCHMIEDERUS, ἄξιον ἢ τοὺς φίλους ἢ καὶ τὴν πόλιν scribendo: in qua emendatione haud dubie est acquiescendum.

Articulus oblitteratus est § 13 in fine, inter σεαυτόν et λίθων. Paene certum est LUCIANUM scripsisse ὅπως δὲ αὐτὸς εὔρυθμος καὶ κόσμιος ἔσῃ ἥκιστα πεφροντικὼς, ἀλλ' ἀτιμότερον ποιῶν σεαυτὸν τῶν λίθων. Quod cur ita censeam, neminem fugiet, qui de λιθοξόῳ sermonem esse secum reputaverit.

14. Ἡ δὲ ἀπολειφθεῖσα τὸ μὲν πρῶτον ἠγανάκτει καὶ τὼ χεῖρε συνεκρότει καὶ τοὺς ὀδόντας συνέπριε. Non credo ponderanda auctoritate codicum colligi posse, utra vera sit lectionum συνέπριε et ἐνέπριε. HEMSTERHUSIUS quidem utrumque bonum iudicavit, neque FRITZSCHIUS habet, quo uni vel alteri vehementer repugnet; qui tamen cum SCHAEFERUS quaerat quibus argumentis innisus συνέπριε praetulerit ad SOPH. *Antig.* ed. ERFURDT v. 831, ad eorum sententiam videtur aliquanto propius accedere, qui ἐνέπριε censeant amplectendum esse. Atque mihi quoque damnandum videbitur συνέπριεν, donec uno mihi comprobaverint exemplo, illud vocabulum *Graecis* revera fuisse in usu, nec, ut v. c. συγκαλύψασθαι (vid. DAWES, *Misc.* p. 378 ed. KIDD), apud*Atticos* saltem scriptores, merum librariorum esse figmentum. Obstat disertum SUIDAE testimonium v. ἐμπρίσαντες, quin LUCIANUM neque συνέπριεν arbitrer neque ἐνέπριεν scripsisse, sed simplex ἔπριεν, quod inde ab ARISTOPHANE praestantissimo cuique scriptori in ea re usurpabatur, cum ἐμπρίειν et apud optimae notae auctores non inveniatur, et plerumque significationem adsciscat constructionemque a simplici verbo diversam. Fere enim ὀδόντας ἐμπρίειν est *dentes infigere*, addito dativo eius rei, cui dentes infigantur. Opitularetur meae coniecturae ipsius FRITZSCHII observatio (*quaest. Luc.*, p. 13), nullius scilicet pene vitii tam crebro et foede commissi reos scribas deprehendi, quam praepositionis ab altero in vicinia vocabulo ductae cum altero item verbo perverse communicatae, quod vitium committentes multo, ut mihi quidem videtur, facilius eo poterant delabi, ut praepositione ditarent verbum simplex, quam ut alteram praepositionem cum altera commutarent. Cuius criminis a librariis commissi propositis a FRITZSCHIO exemplis duo ex ipso LUCIANO desumpta accedant, *Prometh.* 19: σφῶ γάρ, ὦ Ἑρμῆ

καὶ Ἥφαιστε, εἴ τι μὴ καλῶς εἰρῆσθαι δοκεῖ, διευθύνετε καὶ διεξελέγχετε, κἀγὼ αὖθις ἀπολογήσομαι. Scripserat LUCIANUS ἐξελέγχετε. *Quom. Hist. s. conscr.* 15: Κρεπερήϊος Καλπουρνιανὸς Πομπηϊουπολίτης (leg. Πομπηϊοπολίτης) ξυνέγραψε τὸν πόλεμον τῶν Παρθυαίων καὶ Ῥωμαίων, ὡς ἐπολέμησαν πρὸς ἀλλήλους, ἀρξάμενος εὐθὺς ξυνισταμένου. Vix credas, non iam olim e THUCYDIDE καθισταμένου fuisse revocatum. Mihi quidem fateor simplex ἔπριε magnopere placere; tamen cogor rem in medio relinquere. At manifesti criminis rei sunt librarii in re simillima, *Catapl.* 20: Οὐκέτι ὁ κακοδαίμων ἕωθεν εἰς ἑσπέραν ἄσιτος διαμενῶ, οὐδὲ τοῦ χειμῶνος ἀνυπόδητός τε καὶ ἡμίγυμνος περινοστήσω τοὺς ὀδόντας ὑπὸ τοῦ κρύους συγκροτῶν. *Graecum* est συγκρούων. **De manibus** συγκροτεῖν, at de dentibus συγκρούειν dicebant.

Unum vitium superest tollendum in extrema § 18. Cuius aliquanto maiorem partem typis describendam curabo, ut argumentorum enumeratione possim supersedere, iis subductis vocabulis, quibus mutationem a me propositam evincitur esse necessariam. Καὶ τοίνυν κἀγὼ τοῦτον τὸν ὄνειρον ὑμῖν διηγησάμην ἐκείνου ἕνεκεν, ὅπως οἱ νέοι πρὸς τὰ βελτίω τρέπωνται καὶ παιδείας ἔχωνται καὶ μάλιστα, εἴ τις αὐτῶν ὑπὸ πενίας ἐθελοκακεῖ καὶ πρὸς τὴν ἥττω ἀποκλίνει, φύσιν οὐκ ἀγεννῆ διαφθείρων. At tu quam primum corrige: πρὸς τὰ ἥττω ἀποκλίνει.

Scribebam *Campeni*, exeunte mense *Novembri*.

E. MEHLER.

BLADVULLING.

Bij HORAT. *Od.* II. XIII. 17 vlg. (BENTLEY):

Miles sagittas et *celerem* (l. *celeris*. PEERLK.) fugam
Parthi; *catenas* Parthus et Italum
robur: cet.

L. *catervas*.

L., 13 *Dec.* 1852. E. J. K.